

4690.

1351 Mars 7.

Lars Mikaelsson, f. d. syssloman vid S. Clara kloster i Stockholm, skänker till nämnda kloster jord i Hällby, Bondkyrko socken, jämte diverse lös egendom.

Nordberg, S. Claræ Minne, s. 34.

Omnibus Christi fidelibus præsentem literam visuris vel auditoris Laurentius Michialsson, quondam procurator sororum S. Claræ, salutem in Domino sempiternam. Quoniam res gestæ literarum serie solent perhennari, idcirco tenore præsentium omnibus facio manifestum me religiosis personis et Christo devotis, supradictis sororibus S. Claræ ex debita deliberatione et consilio meorum hæredum septem solidos terræ in villa dicta Heelliby, parochia S. Trinitatis Upsaliæ, sitos, et duas partes domorum ibidem manentium cum agris, pratis et omnibus adiacentiis contulisse, iure perpetuo possidendos, alienata a me et meis hæredibus omni facultate prædictam terram in posterum revocandi. Insuper supellectilem meam et omnia, quæ habeo circa me, Deo me vocante, memoratæ sorores recipient et pro suis usibus reservabunt, etiam ad præsens eisdem assigno et committo duodecim pecora parva et magna, octo oves et quatuor sues, de quibus faciant quicquid velint, quibus etiam me ipsum vivum et mortuum recomendo. In cuius rei testimonium sigillum meum præsentibus est appensum. Datum anno Domini mccc quinquagesimo primo in die sanctarum virginum et martyrum Perpetuæ et Felicitatis.

4691.

1351 Mars 10.

Trostebäck.

Johannes Olofsson, hans hustru Helena Östensdotter, m. fl. öfverflytta på fogden i Dalarna, Karl Ingebjörnsson, det af dem förut innehafda förmynderskapet öfver gossen Tideke på grund af faderns, Guttorm Dagfindssons, i lifstiden gjorda förordnande.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Omnibus presens scriptum cernentibus Johannes Olafsson, Helena Østendottir, consors eius, Daghfindus Daghfinzson, Joan Arwastason et Esborgh, ipsius vxor, salutem in Domino sempiternam. Transeuntis fluctuose ac instabilis mortalitatis labilis memoria si debeat duracionis autenticari mansuris monimentis, requirit non solum bonorum foueri testimoniis, sed eciam scriptis apud posteros confirmari. Recognoscimus et notum fieri volumus presentibus [et] futuris, quorum interest vel poterit interesse, quod prout ex relatibus veredicatorum intelleximus, quod vir prouidus Guthormus Daghfinzson pie recordacionis virum prouidum Karolum Ingi-byornason, aduocatam Vallium, in preuisorem et tutorem filii sui Th[y]dekini et omnium bonorum suorum, mobilium et immobilium, vbicunque situatorum, in extremo tempore vite sue dudum statuit et elegit, ita nos Joan Olafsson, Helena Østendottir, Daghfindus, Jon Arwastason et Esborgh predicti, qui nunc sumus tutores predicti Thydekini et bonorum predictorum, memoratum Karolum Ingi-byornason in preuisorem, executorem et tutorem Thydekini predicti et bonorum supradictorum, mobilium et immobilium, presencium et futurorum, facimus et eligimus ad preuidendum bonis premissis [et] puero, prout sibi Thydekino vtilius et commodosius videbitur expedire. Vltimum statuimus et consensimus Karolum Ingi-byornason predictum ad exigendum, leuandum et petendum debita Guthormi me-

morati, vbiunque racionabiliter visa ac inuenta fuerint, necnon creditoribus suis de debitis, secundum quod iustum fuerit, integre satisfaciendi [o: -dum], ratum et gratum habere volentes quidquid per ipsum Karolum actum vel gestum fuerit in premissis. Precipimus insuper predicta bona habentibus vel tenentibus, quatinus Karolo predicto et nulli alteri, cuiuscunque condicionis aut status exstiterit, obedienciam et reuerenciam ac omnimodam iusticiam tamquam vero ac legitimo possessori, in quibus vos requisitos habuerit, efficaciter ostendatis cum effectum. In quorum testimonium et euidentiam, ex quo sigilla propria non habemus, sigilla reuerendorum virorum ac dominorum, scilicet domini Stenari, prepositi in Gangneff, domini Wibrandi, prepositi in Husaby, Gerardi Skiptaræ, aduocati Montis cupri, Gerechini dyækn, Daghfindi Daghfinzson et Ingewaldi pictoris, cuius Arosiensis, ad nostras instancias presentibus sunt appensa. Datum Throstabæk anno Domini m^occc^ol^{mo} primo die Iouis proxima ante Gregorii pape.

Af de sex sigillen äro blott sigillremsona bevarade.
Förut tryckt i Dipl. Dalekarl., nr 631.

4692.

1351 Mars 12.

Borgmästare och råd i Stockholm anhålla hos borgmästare och råd i Lübeck, att de måtte lämna vederbörligt understöd åt Cesarius von Rode, borgare i Stockholm, hvilken å sin hustru Talas och sin svägerska Margaretas, änka efter Stockholmsborgaren Henrik Slucop, vägnar gjorde anspråk å en del af kvarlåtenskapen efter Lübeckerborgaren Peter Vridach.

Orig. på perg. i Lybecks Statsark.
Tryckt efter en afskrift af K. H. Karlsson i Sv. Riksark.

Viris honorabilibus et discretis, amicis suis in Deo, preamicandis dominis proconsulibus ceterisque consulibus Lubycensibus aduocatus, proconsules et omnes consules Stokholmenses seruicii et honoris promptitudinem in omnibus cum effectum. Exposuerunt nobis discrete persone Cesario de Rode et Margareta, relicta Hinrici Slucop, nostri comburgenses dilecti, honestum virum Petrum, Vridach dictum, vestrum conciuem, patrwm predicte Margarete et Tale sororis sue, legitime scilicet consortis Cesarii prenarrati, ingressum esse viam carnis vniuerse pie memorie, qui quidem Petrus defunctus quedam bona mobilia et immobilia post obitum suum, vt asseruerunt, reliquit manifeste. Quare vestram prouidam prouidenciam hiis litteris multarum precum instanciis obnixius requirimus et rogamus, quatinus exhibitori presencium Cesario supradicto coram nobis ex parte memorate Margarete ac sue proprie vxoris Tale iam dicte tanquam nuncio speciali legaliter deputato debitam porcionem nec non diuisionem iustam et legalem bonorum omnium antedicti Petri defuncti causa Dei et iusticie nostrarumque precum ob respectum fieri ac presentari faciatis cum effectum, quod erga vos ac vestros casu consimili vel maiori requisiti beniuole volumus deseruire, certumque respectum ad nos habentes, quod quantumcunque eodem Cesario de prenarratis bonis presentatum fuerit, exinde nulla secundaria monicio seu impeticio a quoquam homine sequetur in futurum. Super hoc sufficientem recepimus caucionem. Deus vos conseruet. Datum anno Domini m^occc^ol^o primo die beati Gregorii pape nostro sigillo sub maiori.

Sigillet (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 768): SIGILLVM CIVITATIS STOKHOLMENSIS IN SVEDIA.